



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Juliana Virg. 19. Iunii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

tem visæ, in quibus suos pulchro ordine ad cælum vidi conniti. Neque dubitarunt nobilissimi qui que proceres ex auiâ Ott. III. Imp. hâc viâ cælum petere. Ipse Imp. Romam abiturus, post redditum iisdem accessurum se spopondit. Sed ROMVALDV illa subjecit: *Si Romanus videbis, Ravennam ultimum vidisti.* Nec fefellit. Redeuntem mors ex itinere insidiis suis excepit, documento futurum iis, qui cum mundo exire laborant, iter tamen differunt, aut viarum ambages quærunt, cum compendia haberent. Ad Cæsarem quoque Henricum cum venisset ROMVALDV, velut ad prædam accurrit aula, vestemque ejus pelliceam diripiens, ostendit quanti virum faceret, è cuius veste unicum pilum tanti fecit. Henricus ipse in eam vocem crumpere auditus est: *O anima hæc mea domicilium tuum haberet corpus!* Audi orbis. Cæsar's anima non credidit augustius se posse habitare, quam in religiosi hominis corpusculo. *Ex Brev. Rom. & Sur.*

Mors non miseratur inopiam, non divitias reveretur, non generi cuiuslibet, non moribus, non ipsi denique parcit etati: nisi quod senibus in januis, adolescentibus in insidiis est. S.Bern. l.de Pers. sustin.c.4.

S. JULIANA VIRG. 19.Iunii.

Nimirum etiam hæc rosa Florentiæ debebatur, ubi Ordo Servorum VIRGINIS floret. O aulæ mancipia, quid ad hæc VIRGINIS servitia vos? eja discite saltem honestam servitutem servire, neque Virginem erubescite Magistrum in ea arte habere, qui Palladem MARIAM salutatis. Fuit JULIANA è nobili familiâ (Falconeriam dixerunt) sed in servitium MARIAE à teneris abducta. Hebdomas illi sic agebatur, ut feriâ IV. itemque VI. ob

Chri-

19.Iunii. VITÆ SANCTORVM. 309
Christi patientis memoriam nihil omnino cibi;
sabbatho panem tantum, & fontanam admitteret.
Interea tamen animum cælesti pane pascebat, pin-
cernis oculis meras lacrimas affudentibus; Chri-
sti tormenta quām altè animo infixa gestarit, mors
probavit, quæ in adverso pectori manifestam Ser-
vatoris à cruce pendentis imaginem ostendit, uti-
que illi similem, quam vidisses, si cor inspexisses.
Cæterū multis jejunis exhausta stomachi dolo-
res contraxit ingentes, & ultimam ciborum nau-
seam. Et verò terrena, ut quæ nunquam illi sapie-
bant, facile neglexit; at divinum cibum cùm sic
ægra non posset accipere, fame scilicet credebatur
ante mortem moritura. Voluit tamen in conspe-
ctum afferri Angelorum ferculum, saltem ut oculos
famelica pasceret. Nec contenta jussit pectori
applicari. Tum denique inter risum blandum ex-
piravit, & ut scires saturam abiisse à mensâ sacrâ,
nihil ex epulo sacro reliquum esse visum est. Ex
Ferrar.

Scit quicunque sensum Christi habet, quantum pie-
tati Christianæ expedit, quantum Dei servum & ser-
vum Redemptionis Christi deceat, unâ saltem aliquâ
diei horâ Passionis & Redemptionis ipsius recolere be-
neficia. S.Bern.l.de Vit.solit.

S. MICHELINA. 19.Iunii.

Aborabat MICHELINA Pisaurensis eodem,
quo matres pleræque, morbo, impotenti erga
unicam prolem affectu: ei medicinam facere Sy-
riana piissima fæmina cùm vellet, totumque con-
tubernalis amorem Creatori affigere, diu frustra
fuit: donec inter preces MICHELINA immutata,
animo ausa est cum Deo pacisci, si filii curam in se

cccc-